

In benedictione candelarum Episcopus utitur mitra simplex. *Ibid.* l. II. c. XVI. n. 4.

In tradendo pallio Episcopus celebrans utitur mitra simplici. *Ibid.* l. I. c. XVI. n. 1.

In Absolutione quatuor Praelati utuntur mitra simplici. *Ibid.* l. II. c. XI. n. 13.

Si Episcopus voluerit ipse absolvere accipit . . . mitram simplicem. *Ibid.* l. II. c. XIII. n. 6.

Episcopo defuncto mitra simplex imponitur. *Ibid.* l. II. c. XXXVIII. n. 10.

n) Ad ultimum Evang. legend.

Facto signo crucis super altari dicit Episcopus: *Initium s. Ev. sec. Joa. etc.* quod prosequitur, sumpta mitra et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta associatus a Canonicis. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 80.

Dicto in altari: *Placeat etc.* incipiet Evang. s. Joan., quod prosequitur mitratu redeundo ad sedem suam. *Ibid.* c. XI. n. 9.

6) Episcopi assistentis.

Episcopus assistens missae sol. cum mitra et Pluviali surgat sine mitra, cum perventum fuerit ad Praefationem et incipit: *Per omnia saecula etc.* n. 3351 die 5. Mart. 1695.

Vd.: *Pileolum Episcopi* (depositio).

7) Episcopi Titul. assist.

a) Jus deferendi.

Ad dubium: an exercente Episcopo Pontificalia liceat Episcopo titulari assistenti una cum pluviali quoque deferre mitram Episcopalem absque consensu Episcopi localis? S. C. resp.: Posse, accedente consensu Episcopi. n. 3976 ad 4 die 10. Apr. 1728.

b) Materia.

Mitram Episcopi titularis assistentis debere esse lineam. n. 3976 ad 5 die 10. Apr. 1728. Cf.: *Mitra Ep.* (Mater.)

8) Ad Exequias.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 25 et 26; decr. Leonis PP. XII. die 4. Julii 1824.); *Mitra Ep.* (simpl.)

Canonicus mitratus Cath. Panormitanae non debet in loculo efferri et tumulari cum mitra. — In funerali seu anniversario Canonici defuncti mitrati, super tumulo ligneo erigi solito non debet mitra superimponi. — Ad sepulchrum Canonici mitrati defuncti non debet ad tholum mitra suspendi. n. 3052 ad 11—13 die 22. Apr. 1684.

9) Historia (de mitra).

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4649 nota.)

10) Impositio.

a) Per ipsum Deferentem.

Ad dubium: an liceat Archidiacono et Cantori Cathedralis Amalphitanae habenti usum mitrae, quando vel in throno vel in scamno canonicali assistunt Archiepiscopo pontificaliter celebranti, quod Clericus mitram iisdem imponat et auferat? S. C. resp.: non licere, quacunque consuetudine non obstante, sed imponendam et levandam esse per se ipsos, quando habeant usum mitrae ex indulto apost., secus abstineant. n. 2746 die 16. Aug. 1675.

Episcopus titularis assistens mitram per se ipsum imponere et amovere a capite debet. n. 3976 ad 6 die 10. Apr. 1728.

b) Per Ministrum.

Ministrare mitram Canonico mitrato solemniter celebranti spectare ad Diaconum celebrantem. n. 3052 ad 8 die 22. Apr. 1684.

Magistri Caeremoniarum abstineant in futurum (in Capella Pontificia) ab imponendo et auferendo mitram, nisi impeditis Diacono et Subdiacono. n. 3686 die 26. Apr. 1704; n. 3691 die 7. Junii 1704 (Bull. r. t. VIII. p. 433.).

Vd.: *Mitra Ep.* (Modus imp.)

11) In Insigniis Familiae.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 27 etc.); *Mitra Can.* (in missa etc.)

12) Minister.

Dignitatibus habentibus usum Mitrae, eam per Capellanos seu Ministros inferiores et non per Canonicos esse administrandam. n. 1441 ad 6 die 14. Mart. 1643.

Debet adhiberi Acolythus ad tenendam mitram cum oloserico velo ad collum pendente, in casu, quo *Canonicus* mitratus solemniter celebret. n. 3052 ad 9 die 22. Apr. 1684.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 21); *Mitra Abbatis* (in process.); *Mitra Canon. et Dignit.* (in process.); *Mitra Episcopi* (Minist.).

13) Estne semper Signum Pontificale?

Vd.: *Instr. Cl.* §. XXI. n. 11.

MONACHUS GRAECUS.

Vd.: *Presbyter graec.*

Monachis graecis seu Calogeris animarum cura nunquam committatur nisi ex necessitate vel alia justa causa.

Constit. Bened. XIV. 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 97 X.).

MONASTERIUM.

Vd.: *Ordines religiosi; Mulier; Regulares* (Quid servare etc.) *Moniales; Bened.* (domus et monasterii); *Quae necessaria sint ad aedificanda nova monasteria*, vd.: *Constitutio Clem. VII.* die 27. Julii 1603 (Bull. r. t. X.

p. 172); *Constit. Innoc. XI.* die 18. Jan. 1684 (Ibid. t. XI. p. 410); *Constitut. Gregorii XV.* 17. Aug. 1622 (Ibid. p. 182). *De prohibitione aedificandi monasteria inconsulto Dioecetano et revocatione pridem concessorum*, vd.: *Const. Urbani XIII.* die 28. Aug. 1624 (Ibid. p. 188). *De Monasteriis perpetuae Adorat. SS. Sacram. in Gallia*, vd.: *Bullam Innoc. XI. IV.* Id. Decbr. 1676 (Ibid. t. XI. p. 202). *De ingressu Sacerdotis saecul. in Monaster. Regul.*, vd.: *Const. Bened. XIV.* die 14. Jan. 1747 (Ibid. t. XVII. p. 101).

MONIALES.

1) Adoratio SSmi.

Vd.: *Instr. Clem.* §. IX. n. 16, 17.

2) Benedictio Apostolica cum Indulg. plen. in art. mortis Monialibus impertienda.

Mazarien.

(Conc. Tr. C. 5. S. 25. De Reg.)

Collata fuit Episcopo Mazarien. consueta facultas dandi infirmis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis et facultas concepta est sequentibus verbis, erutis ex epistola eminentissimi brevium secretarii ad eum scripta:

„Desiderium Dominationis vestrae illustrissimae, quo benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis agonizantibus istarum civitatis et dioecesis Mazarien. concedendi tenetur, exposui Sanctissimo Domino nostro, qui benigne annuit ut Dominatio vestra illustrissima ad triennium proximum benedictionem et indulgentiam huiusmodi agonizantibus civitatis et dioecesis praefatarum per se ipsam immediate auctoritate apostolica concedat; ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, eidem permittit, ut alicui sacerdoti pio per Dominationem vestram illustriss. qualibet vice eligendo, quoad moniales autem illarum confessorio ordinario facultatem similem

factae religioni Cisterciensi, quia concessio est pro Monachis tantum non autem pro Monialibus. n. 3087 ad 2 die 2. Junii 1685.

Ad dubium: an Moniales, quae militant sub regula s. Augustini sed subjectae Ordinariis locorum et vivunt sub eorum cura, possint uti Breviario Augustiniano, sicut eodem Breviario utuntur Moniales, quae sunt sub gubernio Religiosorum Augustinianorum? S. C. resp.: Affir. (27. Jan. 1680) n. 4213 die 12. Decb. 1750.

Ad dubium: Utrum Sanctimoniales Ordinis Cappuccinorum, quae Ordinis ipsius Calendario utuntur, possint omittere Officia propria Sanctorum Dioecesis, an omittere Officia Ordinis, ut persolvant illa Dioecesis, vel potius, relicto Calendario Ordinis, in omnibus sequi illud Dioecesis? Emi itaque ac Rmi P. . . . rescribendum censuerunt: „Juxta alias decreta praeter Dedicacionem Cathedralis et Officium Patroni non teneri nisi ad Officia, quae indulta sunt utrique Clero, nec teneri dimittere Calendarium Ordinis, si juxta illud Officium recitent.“ Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt die 8. Aug. 1835 n. 4767 ad 6.

Ad dubium: 1. An declaratio S. C. R. de anno 1683 die 20. Mart., quod scilicet Regulares non possint recitare Officium de octava Patroni princip. loci sine speciali Indulto S. R. C., comprehendat etiam Moniales Ordinariis subjectas? 2. An eadem Moniales Ord. subjectae teneantur recitare officium de octava Dedicat. Cathedr. vel saltem ad libitum possint recitare de eadem?

S. C. resp.: Ad 1.: Affirmative.

Ad 2.: Negative quoad utramque partem et tantum tenentur recitare Officium Dedicat. Cath. sub ritu dupl. 2. cl. sine octava.

Die 11. Febr. 1702 ad 1 et 2.

Sanctimoniales Ord. S. Benedicti, utentes jam fere a decem saeculis

Brev. monastico, licet Ordinario subjectae, tenentur dumtaxat ad Officia Patroni civit., Titularis Cathedr. et ex convenientia ad Officium Dedicat. ejusd., in omnibus sine octava, juxta decr. in una Breviarii Monastici 2. Julii 1644 (Vd.: *supra decr. n. 1517.*) et in Lauden 20. Novb. 1683. Reliquae vero tum Ordinis S. Augustini, tum Ord. Minor. S. Francisci, sicut et praedictae Benedictinae non exturbandae sunt a sequendo proprii Ordinis calendario et licet Ordinario sint subjectae, non possunt illi Calendario addere alia officia praeter supradicta juxta decr. in Januen 22. Aug. 1744, nisi aliter ab hac Sede ap. fuerit indultum, pro clero saeculari cujusunque dioecesis et regularibus utriusque sexus. Die 7. Apr. 1832.

Moniales in recitatione lectionis brevis ad Completorium dicere debent: *Jube Dom. bened.*, et: *Fratres, sobrii estote etc.*, contrarium tamquam abusus omnino abolendum est. Die 16. Sept. 1673 ad 7 n. 2656.

Clemens PP. XIV.

(Dispens. ab iterata recitat. Matutini.)

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae modernae priorissa et moniales monasterii s. Dionysii Paris. civitatis, quod alias fel. rec. Clemens PP. XII. omnibus monialibus ordinis hujusmodi concessit, *ut ipsae, quoties propter supervenientem somnum in recitat. matutini per earum constitutiones praescripta, quae hora noctis admodum incommoda fieri solet, illud integre minime dixissent, omnes defectus hac de causa ab eis in recitatione hujusmodi incursos ap. auctoritate supplebat, illasque a nova et integra sive partiali dicti matutini recitatione solvebat injuncto insuper, ut omnem quoad rem hanc scrupulum ipsae deponerent.*

Postmodum vero Rainaldus Maria a s. Josepho Generalis preces porrexit ad hoc, ut ea, quae vivae vocis oraculo idem Clemens Generali Philippo dixerat, scripto mandarentur, ipse autem Bened. PP. XIV. omnes facultates opportunas et necessarias eidem Rainaldo rescripto concessit, quo non solum Moniales ab omni defectu praemissa de causa incurso solvebat, super nova recitatione sive partis sive totius matutini dispensando, sed etiam, quia ipse noverat, quod pro majori suarum conscientiarum quiete dictae moniales desiderabant, ut aliqua alia vocalis oratio subroganda esset, hinc absolutioni et dispensationi hujusmodi quoad illas moniales, quae de satisfactione dubium habuissent, *onus ipse addidit recitandi per quinque vices orationem dominicalem et salut. angel., addita tamen declaratione, ut omnis via timori novisque scrupulis praecula esset, quod easdem moniales recitationi dictarum precum graviter obligare non intellegebat*, ac alias prout in ejusdem Rainaldi epistolis uberius dicitur contineri.

Haec indulta quum dictae Moniales ap. patrocinio communiri plurimum desiderant, Nos ipsas exponentes speciali gratia prosequi volentes, praemissa omnia ab eisdem Clemente et Benedicto praedecess. Nostris concessa et indulta tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis ap. firmitatis robur adjicimus.

Non obstantibus Quibuscunque etc.

Romae die 21. Novb. 1770.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 247. Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa et moniales recollectae nuncupatae ordinis sancti Augustini regalis monasterii Incarnationis etiam nuncupati oppidi Matrili

Toletanae dioecesis, quod ipsae pro sua et capellanorum ecclesiae dicti monasterii inservientium spirituali consolatione et commoditate, licentiam recitandi officia propria missasque celebrandi illorum sanctorum, de quibus dictae exponentes recitant officium, capellanis hujusmodi per Nos concedi summopere desiderant, Nobis proterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati modernis et pro tempore existentibus capellanis servitio ecclesiae praedicti monasterii addictis, ut ipsi in posterum officia propria recitare, missasque illorum sanctorum, de quibus dictae exponentes recitant officium celebrare libere et licite possint et valeant, licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 27. Mart. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 8. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VII.

(Tempus.)

Vd.: *Nativ. Dom.* (Commun., decr. Pii VII. die 25. Junii 1819.)

Dilectis filiabus Monialibus Monasterii s. Crucis Venetiarum.

Vester exiguus numerus atque inclinata aetas et infirmitas corporis et valetudo incommoda, qua estis pleraeque, videntur Nobis profecto exposcere, ut de instituti vestri severitate aliquid remittatur. Quis enim ignorat, quod Christus, qui vos sibi sponsas delegit, professus aperte est, jugum nempe suave prorsus esse suum et onus leve? Quamobrem non multae

deliberationis fuit adsentiri vestris postulatis, quae nuper ad Nos deferri curastis, quaeque intelleximus non a mollitie et languore animi et virtutis profecta sed ex eo, quod vires vos et facultas defecerint.

Itaque vos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, vobis, ut, quamdiu ordinarius civitatis istius vestrae expedire in Domino judicaverit, *matutinum et laudes divini officii non de media nocte sed post occasum solis diei antecedentis recitare* seu concinere possitis, tum ut a die festo omnium Sanctorum ad Natalem Domini non quotidie sed feria tantum quarta et sexta jejunare debeatis, denique ut in cella quaeque vestrum seorsim sua, non in dormitorio simul, somnum capere valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et in ejusmodi tribus capitibus ab obligatione quaecumque vestrae servandae regulae omnes et singulas vos, quoadusque, ut dictum est, ordinario vestro videbitur, solutas esse decernimus et declaramus.

Datum Romae die 21. Novb. 1800.
(Bull. r. Continuat. t. XI. p. 80.)

4) Clausura.

a) Dispensatio ab ea propter obsess. civitatis.

Vd.: *Monial. Clausura* (Observ., decr. diei 18. Nov. 1713 *Gerunden.*).

b) Ingressus Episcopi.

Vd.: *Moniales* (Benedictio apost.).

c) Ingressus Superior. regul.

Ad dubium: An Superior Regularis Monasterii Monialium s. Clarae civitatis Graecii ingredi possit clausuram dicti Monasterii post electionem Abbatissae ad peragendam exhortationem

et publicandam dictae Abbatissae electionem Monialibus?

S. C. resp.: Negative et amplius.
Die 29. Nov. 1710 et 10. Jan. 1711.
Vd.: *Moniales* (Bened. apost.).

d) Ingressus vetitus.

Vd.: *Bullam PP. Pii V.* diei 29. Maii 1566 in Bull. r. t. II. p. 196 (Ed. Luxenbg.). *De Clausura et Migratione Monial.*, vd.: *ejusd. PP. Pii V. Bullas* anno 1566 et 1570 editas (Ibid. t. X. p. 147). *De claus. et directione Monial.*, vd.: *Bull. Gregorii XV.* Nonis Febr. 1623 (Ibid. p. 183). *Constitut. de disciplina Monial.*, vd.: *Bull. Bened. XIII.* die 27. Mart. 1726 (Ibid. t. VIII. p. 495). *De facultate cum Monial. in clausura viventibus colloquendi*, vd.: *Indultum* (revocat. n. XIII.). *De reditu in clausuram*, vd.: *Bull. Bened. XIV.* die 1. Junii 1741 (Bull. r. t. XVI. p. 34). *Confirmantur sanctiones antea editae in Bulla Bened. XIV.* die 3. Jan. 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 62). *De clausura Monial. et admitt. famularum*, vd.: *Bull. Bened. XIV.* die 24. Jan. 1747 (Ibid. t. XVII. p. 105).

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

Gravissimo animi moerore affecti sumus, dum a certis viribus annuntiatum Nobis est, aliquos esse Praesules, qui regimen civitatum Ditionis Nostrae obtinentes, nec habita immo nec petita quidem ab episcopis locorumque Ordinariis facultate ad Monialium monasteria se conferunt et libere cum iis colloquantur, Synodorum decreta et Episcoporum constitutiones omnino infringentes, in quibus hujusmodi licentia poenis prohibetur, sed non solum in iis civitatibus, in quibus sunt cum imperio, verum in caeteris quoque sese exceptos esse contendunt.

Praeteritis temporibus S. Congregationes annuentibus SS. Pontificibus opportune statuerunt, quae sibi necessaria visa sunt, quoad Regulares, qui suis fulti legibus sive immunitatibus putabant injussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta Monialium

claustra, ut videre licet in tract. nostro de *Syn. Dioec. l. 7, c. 41, n. 7*; providenter etiam non tam Gubernatoribus quam Episcopis, qui aut in civitates aut oppida alterius Episcopi juri subjecta veniunt aut innibi commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario Monasteria adiret aut Moniales alloqueretur; cujusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud Sellizarium de *Monialibus cap. 5, sect. 5, num. 210*, apud Gratianum *discept. 392, num. 1*, apud Tamburrinum de *jure Abbatissarum disp. 25, quaest. 2*, et apud Ferrar. in *sua Bibliotheca in verbo: Moniales art. 4, num. 34*.

Canonicis sanctionibus Monialium custodia juri ordinario Episcopi, si Monasteria ejus potestati subjecta fuerint, delegato, si exempta, committitur, quemadmodum statutum fuit a Pontifice Bonifacio VIII. in cap. *Periculoso, de statu Monachorum in sexto*, atque a Sacro Tridentino Concilio renovatum in cap. *5, sess. 25 de Regularibus et Monialibus*. Hinc porro omnino sequitur, Monasteria adire Monialesque invisere sine Custodis jussu licere nemini, ac propterea debere omnes hujusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores et argui facile potest ex praeteritis Congregationum decretis.

Quae quidem confirmata omnino volumus, ac si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus imperamusque, ne Episcopi alienae Dioecesis Monasteria conveniant atque cum Monialibus colloquantur inscio Ordinario Locii; eademque omnia firma rataque esse jubemus, etiam quoad Vicelegatos et Gubernatores licet Praesules, quibus ad Monasteria accessum sine debita venia in iis quoque Civilatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdiciamus.

Jam dictum est hosce omnes directivae Episcoporum auctoritati eorumque Constitutionibus subjacere, quae omnino accessum vetant ad Monialium Claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideo sunt immunes a vi coactiva, id est a poenis contra transgressores statutis, uti ex responso patet Clementis III. in cap. *A Nobis 21 de sententia excommunicationis*. Ne vero ab hujusmodi immunitate aliquid mali exoriantur, volumus et mandamus, ut, si aliquando contigerit, quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad Monasteria Monialium se conferant et cum iis Episcopi injussu agant, infringentes Synodorum sanctiones atque Episcoporum edicta, volumus et imperamus, ut Episcopi Nos aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiore faciant, ut aliqua ratione contempta Episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius hujusmodi consilium amplectimur, quod idem a Praedecessoribus nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes et Sedi Apostolicae immediate subjectas procedendum sit; Joannes XXII. in cap. *Cum Matthaeus, de haereticis, in Extravagant. com.*, Eugenius IV. in cap. *Divina, de Privileg. in Extravag. com.*

Datum Romae die 31. Oct. 1749.
(Bull. r. t. XVIII. p. 54. Ed. Luxbg.)

Clemens PP. XIV.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moniales Ord. B. V. M. de Monte Carmelo Excalceatae nuncupatae civitatis s. fidei de Bogota in Indiis Occidentalibus, quod regularis earum vivendi ratio in eo potissimum versetur, ut a mundanis rebus alienae in silentio vitam solitarie ipsae

communicare valeat, id jussu Sanctitatis Suae, quae Dominationem vestram illustrissimam facultate supradicta vigore praesentium literarum uti posse vult, eidem significo.

Hoc praemisso, quaerit praedictus Episcopus: *an teneatur facultatem benedicendi moniales in articulo mortis constitutas committere earum confessario ordinario vel potius ipse possit ingredi claustra et quatenus velit aliquando benedicere per se ipsum et an in hypothesi, in qua ingredi possit, an et quibus sociis comitatus ingredi teneatur et demum: an in casu, quo aliqua monialis sit infirma et pro sua devotione velit confessionem suorum peccatorum explere, possit confessarius ordinarius aut extraordinarius vel etiam ipse Episcopus ingredi clausuram?*

Praescindendo a prohibitione ingressus in monasteria monialium in ordine ad eos, qui aliorum indigent licentia, ut ingrediantur, Gregorius XIII. in declaratione ad calcem suae constit. 28. bullar. tom. 2. sanxit quoad eos, qui alterius licentia non indigent, sed sui auctoritate officii monasteria monialium ingrediuntur, non posse illos id facere, nisi in casibus necessariis et cum comitatu paucorum et quidem seniorum et religiosorum: „*Praelatos omnes tam saeculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati.*“ Quocirca transgredere Gregorianam constitutionem et illius poenis esset subjectus praelatus ille, qui secum duceret laicum, excepto casu, in quo ejus opera tanquam periti indigeret, uti allegatis resolutionibus sacrarum Congregatio-

num late prosequitur *Monacell.* in formular. tom. 3. pag. 109 n. 112 et seqq.

Quoad ingressum Confessarii pro excipiendis monialium confessionibus extat constit. 153 Alexandri VIII. bullar. tom. 6., quae in terminis confessariorum regularium ita statuit §. 5., ad haec: „*Confessor sanctimonialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso semper videri possit*“; et quoad alios confessarios extant decreta sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium impressa apud *Nicolium* in flosculis in verbo „*clausura*“ n. 32 et seqq., ubi dicitur: eum ingredi posse ad ministranda sacramenta principalibus anni solemnitatibus confessionis et communionis illis monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium et fenestellam accedere, item, quod solus ingredi debet excipiendus a duabus monialibus senioribus, quae illum recta euntem ad valetudinarium et simili modo exeuntem comitentur et cum cautela, quod dum audit confessionem, cella ita sit aperta, ut duae comitatrices, quae super ejusdem cellae janua remanere debebunt, confessarium et infirmam commode cernere, non autem audire possint.

His positus quaeritur:

I. *An Episcopus habens facultatem dandi benedictionem apostolicam constitutis in articulo mortis teneatur quoad moniales eam committere earum*

Adnotationes

Secretarii in causa Mazarien.

In canone 21. Concilii 4. Lateranen. relato in cap. „*omnis*“ de poeniten. et remiss. omnes et singuli fideles adstringuntur ad explendam confessionem semel in anno et licet nullum certum Tempus annuae confessionis praecepto aliquo ecclesiae praefixum sit, confessio tamen sacramentalis ratione communionis paschalis in paschate implenda est juxta doctrinam divi Thomae quodlibeto primo quaest. 6., art. 2., ibi: „*et quia ex praecepto ecclesiae omnes fideles tenentur saltem in anno praecipue in festo paschae sacramentalem communionem accipere, ideo ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi eucharistiam, omnes fideles confiteantur.*“

Item praecepto sacramentalis confessionis tenetur quicumque conscius peccati mortalis, vult accedere ad sacramentum eucharistiae, juxta sac. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7., ibi: „*nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*“ Eodem tenetur praecepto ille, cui periculum mortis imminet, juxta pariter doctrinam divi Thomae in 4. sentent. dist. 17. quaest. 3. art. 1. quaestiuicula prima, ibi: „*ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc.*“ Et quamvis confessionis praeceptum non obliget statim ac aliquis in mortale peccatum lapsus est, expedit nihilominus, ut ille quam citius potest, confiteatur juxta doctrinam S. Bonaventurae, in 4. sentent. dist. 17. quaest. 2. part. 2., ibi: „*consilium tamen sanum est, ut omnes, qui in mortale peccatum lapsi sunt, quam citius pos-*

confessario ordinario vel potius sit in ejus facultate aliquando ingredi monasterium, ut eis det benedictionem? Et quatenus affirmative quoad secundam partem;

II. *An et quibus sociis comitatus monasterium ingredi debeat?*

III. *An Episcopus et confessarii sive ordinarius sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?*

S. C. C. resp.:

Ad I.: Negative quoad primam partem et ad secundam affirmative;

Ad II.: Debere ingredi in casu, de quo agitur, cum confessario monialium et uno probato sacerdote per eum eligendo.

Ad III.: Uniantur decreta.

Die 10. Maii 1727.

Mazarien.

Proposita fuit instantia Episcopi Mazarien. in Congregatione habita die 10. Maji 1727 pro resolutione quatuor dubiorum; tria fuerunt resoluta, hoc est primum, secundum et quartum et in ordine ad tertium dictum fuit, quod „*unirentur decreta.*“ Ad calcem solii Secretarius nonnulla adnotavit; quocirca dubium tertio loco propositum et non resolutum dignabuntur EE. VV. resolvere et dubium est hoc quod sequitur:

An Episcopus et confessarii, sive ordinarius, sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?

S. C. C. resp.:

Affirmative servatis servandis.

sunt, constentur. Non enim videtur vere contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum, et in eo, quod attinet ad moniales, sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 10. de regul. haec habet: „Attendant diligenter Episcopi et caeteri Superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant et sacrosanctam eucharistiam suscipiant“, quae verba juxta communem doctorum opinionem in consilium resolvuntur, uti caeteris allegatis docent *Reginald.* in praxi fori poenitent. lib. 39. n. 73. in fine; *Donat.* in praxi rerum regul. tom. 4. tract. 13. quaest. I.

Atque hinc transeundo ad ingressum in monasterium pro administrando sacramento confessionis illis monialibus, quae ita sunt infirmas, ut neque per se neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium et fenestellam accedere, de quibus solis loquitur dubium propositum, doctores de materia scribentes dicunt, confessarium posse ingredi monasterium ad ministranda sacramenta confessionis et eucharistiae, non solum, quando urget morbi periculum, sed etiam in ipso initio morbi, et quoties ex regulae suae praescripto monialis vult confiteri et ulterius quoties infirma dixerit, se sacramento poenitentiae indigere, aut sacramenta recipere consueverat, dum erat sana. Ita *Sanchez* in praecepta decalogi lib. 6 art. 16 n. 45, ibi: „quod si petas, quoties confessarius aut ministraturus eucharistiam ingredi possit? respondet, non solum id fas esse, quando morbi periculum ad confessionem obligat, sed etiam ipso morbi initio, ut constat ex cap. „cum infirmitas“ de poenitentia et remissionibus et ex motu proprio Pii V., ubi jubentur medici statim in ipso morbi initio

suadere infirmis, ut sacramenta confessionis et eucharistiae recipiant tanquam valde conferentia corporeae salutis recuperandae, eo quod saepe morbus in poenam peccatorum contingat et tanquam valde necessaria salutis animae, cum saepe inopinato contingat infirmum phrenesi arripere incapacemque horum sacramentorum reddi. Immo id licitum quoque credo, quoties ex regulae suae praescripto moniales solent confiteri, quod bene docet *Miranda* loquens de strictiori monialium S. Clarae clausura, additque idem dicendum, quoties infirma dixerit se sacramento poenitentiae indigere et placet, nec stricte hanc indigentiam sumendam existimo, sed quando ad veram et propriam consolationem confiteri desiderat, quia justum est tristitiam infirmas tam salutari medicina levare. Idem etiam credo, quoties juxta laudabilem monasterii usum solent moniales confiteri, eucharistiamque recipere, vel infirma solita est his sacramentis uti, quia rationi consonum est, infirmas hoc solatio non destitui.“

Quod ipsum a caeteris aliis fuse confirmatur, *Rodrig.* quaest. regul. tom. 1 quaest. 47 art. 4; *Miranda* in tract. de sacris monial. quaest. 2 pag. mihi 42; *Tamburin.* de jure abbatissarum disputat. 24 quaest. 2 n. 1; *Diana* in edit. coordinata tom. 5 tract. 1 resolut. 9 n. 4; *Portell.* in dubiis regul. in verbo „clausura monialium“ n. 9; *Pellizar.* de monialibus cap. 10 sect. 3 subsec. 1 quaest. 40 n. 220; *Gibalin.* de clausura disquisit. I. cap. 7 §. 2 consec. 2 §. „secundo licebit“; *Bonacin.* operum moral. tom. I. quaest. 4 de clausura puncto 4 proposit. unica n. 4.

Sermonem habendo de decretis sacrarum Congregationum, nonnulla sac. Congregationis Episcoporum et Regularium referuntur apud *Nicol.* in Flos-

culis in verbo „clausura“ n. 32 et seqq., in quibus sermo fit de ingressu ad ministranda confessionis et communionis sacramenta „in principalibus anni solemnitatibus et ab hac sacra Concilii Congregatione 15. Decembris 1605 resolutum fuit: posse confessarios ingredi clausuram monialium ad ministranda infirmis sacramenta poenitentiae et eucharistiae, omnibus illis diebus, quibus ex instituto vel consuetudine monasterii moniales sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipiunt, uti habetur in tom. 129 posit. pag. 137 ad cap. 5 sess. 25. Sed non videtur, quod haec decreta taxative loquantur.

3) Breviarium.

Vd.: *Confiteor*; *Officium parv. B. V. M.* (Tempus; decr. 5148); *Officium*; *Lingua*; *Breviarium Monast.*; *Patronus princip.*; *Dedicat. Cath.*

Monialibus apud Indos orientales potest concedi Officium roman. n. 93 die 27. Maji 1596.

Moniales poterunt de Sanctis propriis celebrare Officium, sed missam cum Missali romano, si celebratur ab earum Capellanis. n. 772 ad 11 die 28. Oct. 1628.

Quando fit festum de Patrono Civitatis, Dicationis Ecclesiae majoris vel de Patrono Regni, Moniales subiectae Ordinario tenentur recitare Officium dictum, dummodo non habent ritum proprium, prout Dominicales et Monasticae. n. 2119 ad 6 die 13. Aug. 1667.

Moniales, habentes usum *Breviarii Monastici*, quamvis non Monachis sed Ordinario subiectae, tenentur dumtaxat ad faciendum Officia SS. Patronorum Civitatis juxta rubricas et ritum *Breviarii Monastici* et non ad alia in Calendario *Dioecesano* descripta. n. 1517 die 2. Julii 1644 (Vd.: *inf. decr. de die 7. Apr. 1832.*)

Non debere Ordinarium permittere, ut Moniales diversorum Ordinum, quae retentis Officiis Sanctorum proprii Ordinis Breviarum romanum receperunt, celebrent nova Officia, quae non sunt per sedem apost. approbata. n. 1570 ad 1 die 17. Novb. 1646.

Stante antiqua consuetudine a fundatione Monasterii introducta Moniales tuta conscientia posse continuare in recitatione Officii Sanctorum sui Ordinis, quando occurrunt, absque eo, quod aliud Officium dicta die recitare teneantur, prout continuandi in dicta consuetudine antiqua facultatem et licentiam eis dedit S. C. n. 264 die 11. Junii 1605.

Monialibus non licet ex eo, quod ab erectione Monasterii usae fuerint *Breviario rom.*, recitare Officia propria earum Ordinis (S. Benedicti) ad formam et juxta rubricas ejusdem *Breviarii rom.*, nisi id expresse a Sede apost. ipsis indultum fuerit. n. 1630 die 19. Sept. 1654.

Moniales ss. Visitationis teneri in recitando Officio solito commemor. s. Antistitis (s. Francisci Salesii) facere juxta rubr. 35 de commemor. communib. et Suffragiis. n. 2425 ad 6 die 19. Novb. 1667.

Extat Viterbii Monasterium Monialium, quae profitentur sub regula s. Augustini et subsunt immediate soli Ordinario nec a Regularibus gubernantur nec sunt sub ordine Monastico neque cum illo, praesertim quoad horas canonicas conveniunt, sed ritum ecclesiasticum Cleri saecularis sequentes hactenus Officia divina juxta *Breviar. rom.* recitarunt. Nuper coeperunt Officia propria Regularium SSrum Ordinis S. Augustini recitare. S. C. resp.: „Non licere.“ n. 2773 die 21. Mart. 1676.

Moniales Monasterii s. Basilidis Parmensis non possunt recitare Officium s. Benedicti fer. 3. infra annum in vim concessionis de die 10. Mart. 1668